



ANTON

ORAT

FVI

22

ANTONII THYLESII CONSENTINI
 ORATIO: Q VAM HABVIT IN
EVNERE ILLVSTRISSIMI
IOANNIS IACOBI
TRIVVLTII.



38
ANTONII THYLEZII CONSENTINI
ORATIO: Q VAM HABUIT IN
FVNERE ILVSTRISSIMI
IOANNIS IACOBI
TRIVVLTII.



pe
de
iust
rec
me
ci:
ma
da
ru
po
me
iba
ter
au
cu
en
uo
ea
no
ter



323

Vasi lux quædam: quæ patriam fulgore illustrabat: extinctus est Ioanes Iacobus Triuultius. unde nunc illa sese afflicta in mœrore uersatur. Lugetq; caput fidissimum: tot tantisq; uictoriis insigne: Italicæ militiæ decus & colume: morte sibi ereptum esse. funusq; in senibus tempestiuum: tanq; immaturū: deflet acerbissime. iure quidem deflet: multa. n. in uno magnaq; amisit. De quibus rebus iussus aliquid breuiter dicere O dete Princeps illustrissime: rectorq; & gubernator Cisalpine sapiētissime: Præses optime: cæteri q; qui adestis: Patres amplissimi: ac uiri magnifici: scio me benigne audietis & intente. quando inter plurimas maximasq; uirtutes: quibus abūdat: humanitas quædam elucet splendidissima. quando bonas artes amatis: earumq; studiosos. quando de homine: seu uiro: seu Principe potius: ac Duce dicturus sum clarissimo: ciue uestro: optime merito: eodemq; omniū parente. nam & ætate reliquis anteibat: & tanq; parens bonus omnium honori: & utilitati pariter consulebat. cuius gesta si externi homines libentissime audiunt: & cū uoluptate: quid uobis faciendum est: quibus cum gloriam famamq; suā uir ille cōmunicauit: quæcunq; enim gessit: quæ multa fuerunt & præclara: earum rerum uos omnes estis participes & quasi cohæredes. Atque ego ea mente ueni: ut aliquas tanti Ducis laudes recenserem: nō omnes. si quidem difficillimum esset: quæ diuersis locis: temporibus diuersis: a puericia ad senectutē usq; egit: bre-

ui oratione colligere. iamq; existimo ea multo esse uobis no-
tiora q̄ mihi: ut familiae uetustatem dignitatemq; quæ mul-
tis ab hinc annis atq; adeo seculis Dioclitiano imperante e
Triuultio Burgundiæ (sic. n. legi in antiquis monumentis)
in urbem hanc celeberrimam profecta est. quam cum armis
defendisset: cunctis rogantibus uno ore in ea consedit. ubi
longa serie in maximo fuit honore & auctoritate. ac nō se-
mel acerrime pugnans hostiū exuuiis ciuitatem hanc pul-
cherrimam exornauit. Sed ne antiquissima uidear adduce-
re & a nostra memoria remotissima: pater huius Ducis emi-
nentissimi: cuius exequias mœstissimi celebratis: excellen-
tissimus fuit Antonius Triuultius. qui cum uaria gessit &
egregia: tum prioris Alphonsi regis copias in Piceno profli-
gauit cepitq; & trans A ternum fugauit missus a Francisco
Mediolani Duce. clarus quoq; fuit Renatus Triuultius: cla-
ri etiam complures. quid tamen attinet eos: qui iam pridem
e uita excesserūt: nominare? cum præsentis spectetis p̄sen-
tem stirpem hanc generosissimam. in qua quot quantosq; ui-
ros uideris? e quibus Antistites sunt multi probitate doctri-
naq; & amplissimis sacerdotiis aucti: & hic: & i urbe Roma-
na Pōtifici maximo omnes acceptissimi: optimus. n. ille nō
solum maximus sui similes amat fouetq;. qui nunc eodem
lumine orbati producta funeris pompa mœrēt grauissime.
plures i re militari diu multumq; uersati ductoresq; eximii
& spectati. Verum hæc: ut dixi: uos longe melius nostis: q̄
ego: quemadmodum & ea: quæ propria fuerūt huius orna-
tissimi uiri Ioannis Iacobi Triuultii. quæ quanq̄ nemini ue-

324

strum ignota sunt: tamen: quia eum iure amatis: puto non
iniucūdum uobis fore: si ea q̄ paucissimis exponam. quæ. n.
memoratu dulcia sunt: quanto sæpius repetuntur: eo delec
tant magis. Atq; ut hinc incipiam: illum sic Natura forma
uit: ut natus uideretur: sicut fuit: ad militares ærumnas susti
nendas. cibi potionisq; parcissimus. quo genere abstinentiæ
cum semper mentē seruauit integram: synceram: uigilemq;
& intentam: tum grauissimum a se morbum repulit articu
larem. qui cum nulla re possit curari: curauit tamen ille: seu
potius tanq̄ hostem fugauit temperato & salubri uictu. Ca
loris fuit etiam frigorisq; patientissimus. testes sunt Alpes
Gallicæ. per quas Graius Hercules: & Carthaginēsis Annib
bal: uterq; in ætate iuuenili semel transiuit. hic longæuus
sæpissime iter illud confecit eundo & redeundo frigidissi
mo anni tempore per saxeta: crepidines: per rupes præcipi
tes diuturna niue & glacie rigentes. Quid rerū gerit Ioan
nes Iacobus Triuultius in hac hyeme: senectutē ne fouet
suam ad ignem: an in lectulo quiescit: sic aliqui rogabant.
respondebatur. ille aliquot ab hinc diebus in Galliam pro
fectus est Transalpinā breui rediturus. nam sic solitus erat
illuc ire & redire: ubi aliquid pro christianissimis Regibus
faciēdum esset: tanq̄ si Gallia regio fuisset suburbana. Som
no quoq; minime omnium deditus erat. domi cū esset ante
lucanis horis surgebat quotidie: ut mēte tractaret ea: quæ
ad Christianissimos Reges: quæq; ad Remp. attinerent. nā
in castris nunq̄ nisi uictis aut fugatis hostibus quiescebat:
sub galea: sub lorica: sub scuto: nulla sub culcitra: sub pului

no: aut stragulo: inter equorum fremitus: armorum strepi-
tus: militum clamores: tubarūq; clangores. hæ erant citha-
ræ: hæ lyræ: ad hos cātus uir ille somnos captabat. Totius
uero corporis robore & firmitate quanta fuerit in iuuentu-
te: declarauit eiusdem senectus. in qua sic equum armatus
conscendebat: descendebat: incitabat: sustinebat: quasi adu-
lescens fuisset ualidissimus. inter suos loricated cum equita-
ret: caniciemq; galea premeret: hastamq; uibraret: omniū
in se unum oculos conuertebat. nam si hæc probantur in iu-
uene: mirabilia sunt in sene & quasi diuina. talem aiunt fuis-
se Numidiæ Regem Masinissam. sed quæ legimus: non ita
credūtur: ut ea: quæ oculis ipsi cernimus. Quin etiam ipsa
oris dignitas uirum arguebat fortissimum. Legistis puto de
C. Mario: qui & senex & inermis uultu tantū & uoce Cim-
brum in se uenientem armatū terrefecit & fugauit. itemq;
de Coriolano: cuius aspectus hostibus erat formidolosus.
illam eandem præseferbat animi præsentiam & spiritum
Triuultius. Quam etiam inter ciues decebat caput illud
senile & canis uenerandum: q̄ etiam inter Proceres: unius
ob os omnes ora uertebant sua. quem quoniam uiuum ne-
queunt ultra spectare: conuenerunt nunc: ut spectent mor-
tuum: rati: quod Metellus Macedonicus liberis suis dixit
de Africano minori: fore: ut nunq̄ uidere possint ciuis exe-
quias maioris. Sed agite uirtutes animi inspiciamus. sunt
quidem illæ innumerabiles. sed ex iis paucas celeriter per-
curram. imprimisq; eius fortitudinem attingam. qua muni-
tus multa & grauiā pertulit: bonorum iacturam: exilii in-

325

commoda: patriæ suorumq; desiderium: unici atq; optimi
filii mortem acerbam. sed illud admodum laudabile: quod
Fortunæ nunq; cessit: sed cum ea assidue contendit: dimica-
uit: digladiatus est: fessamq; tandem ac uictam fregit. cum
illa inuidia æstuans omnes aditus quæreret: & enixe labo-
raret huius splendorem extinguere. deturbaret quandoq;
insidiis. isq; animis resistens fortior surgeret. eâq; ulciscens
sterneret: rueret: præcipitaret. quid me audes minacibus
oculis intueri? alios terre Fortuna: ignauos: segnes: oscitan-
tes: ocio languentes: somniculosos. quid tibi cum impigris?
cum intrepidis? cum impavidis? nihil cum fortibus iuris
habes: nihil potestatis cum magnanimis. Hæc atq; alia cū
cogitaret: sese adhortans obuius ibat laboribus & pericu-
lis. unde tutus semper euasit duce non tantum animi ma-
gnitudine sed prudentia. qua & se suosq; tanquã clipeo pro-
tegebat: & hostes superabat. Accedebat & illa erga omnes
æquitas. quã seuerè iniquas militum direptiones: rapinas:
incendia: stupra: cæteraq; flagitiosa uindicabat: lites com-
ponebat omnium ipse: quicquid acciderat: iudicabat ipse:
comis interdum: facilis & clemens: interdū: ubi opus erat:
tristis in improbos: inexorabilis: & uehemens. non una in
uno uidebatur Natura: sed omnium. Nam quid ego di-
cam de eiusdem mansuetudine: & iniuriarum obliuione?
uictor: cum id facile posset: neminem uiolauit unquam.
Quid de Fide? quam cum multi non semel tentarent pro-
missis ingentibus & certissimis labefactare: illam rebus

a iiii

omnibus contemptis & repudiatis sanctissime semper ser-
uauit. Quibus artibus multos magnosq; christiani populi
Principes sibi conciliauit. sub quorum auspiciis quæ gesse-
rit: longū esset cōmemorare: quoties in acie fuerit: quot ser-
uauerit commilitones: quot hostes partim ceperit: partim
strauerit: multis acceptis uulneribus: pluribus tamē illatis:
oppidaq; expugnauerit: cū ipse scalis admotis: ut ducem in-
trepidum decet: primus omnium muros conscenderet. unde
sæpissime in concione laudatus præmia accepit plurima &
maxima. quot præterea matronas uirginesq; libidini mili-
tum eripuerit. Senenses fuerunt illæ: quas iuuenis cōtinen-
tissimus (nam hæc iam pridem fuerunt) & seruauit: & ad
suos remisit integras. Pene exciderat e memoria Auximū:
qui locus natura & præsidio munitus artes sensit uiresq;
Triuultii. cum ualles aggere montibus æquauit: ac tormen-
tis hinc inde mœnia uerberans trepidantes compulit oppi-
danos ad deditiōem præter omnium spem & opinionem.
unde a Pontifice Maximo hilari uultu acceptus multis ma-
gnisq; muneribus donatus est oblato etiam pileo Cardina-
lium insigni purpureo. sed ille cassidem maluit ferream na-
tus uidelicet ad arma & ad res gerendas maximas. Legun-
tur hæc: & habentur in manibus. superuacaneum igitur
esset differere. præsertim cum oratio sit hæc: non historia:
aut annales: neq; statuerim tanti ducis uitam hic explicare.
quod si fecissem: ab illius puericia inciperem. in qua con-
stat armorum equorumq; fuisse studiosum. dicerem de adu-
lescentia. in qua spem & futuræ uirtutis argumenta exhi-

326

buit cum ex equitum ludicro concursu & hastarum certamine: ut fit: solus ex omnibus palmam assecutus esset. quasi præludium fuit illud & tanq̄ omen certissimum: fore: ut nō semel uictis hostibus uictoriam reportaret. dicerem eiusdē prima stipendia. quæ Galeatium Sfortiam secutus fecit in Gallia. quo tempore a Ludouico Rege Christianissimo aliquot e suis defecerunt multis ab hinc annis. ubi inter alia pulchra facinora constat ciuem seruasse non sine uitæ suæ summo discrimine. iam tunc uidebatur: quo esset tantus uir peruenturus. Sed q̄ magnus fuerit hic: uel ex hoc intelligi potest. quod non modo Regum Aragoniæ gratiam iniit maximam: cum procul a suis in urbe uiueret Neapolitana: ubi (nimirum uera uirtus ubiq; est amabilis) Beatricem Daua lam illustrissimo genere natam & modestissimam matrimonio sibi iunxit. quo coniugio quid unq̄ lætius uisum est? quanto cū gaudio Genuenses publico hospitio illos: cum Mediolanum uenirent: exceperunt: cæteraq; deinde oppida: & urbes: quanta cū uoluptate atq; alacritate uiderunt ciues amantissimi ciuem illū clarissimū: quasi triumphus ingressus esset urbē hanc: ita omnes obuiam læti & gratulantes procedebant. quid loquar de apparatu lautissimo & copiosissimo: de nuptiarum magnificentia: nemo: qui tunc uiuebat: non uidit. nemo: qui postea natus est: non audiuit. sed ut redeat: unde defluxit oratio: non solū Neapolitanis regibus gratus uixit: sed gratissimus tribus ex ordine Francorum Regibus Christianissimis: Regi Carolo: Ludouico Regi: & huic potētissimo Regi Francisco Christianissimo.

quibus quam fidem probauerit a inimicis constantiam: quidue
sub eorum imperio egerit: non modo hic diuulgatum est: sed
exteris quoque nationibus. eritque non huic tantum aetati co-
gnitum: sed omni etiam posteritati. quamdiu. n. Regum illo-
rum fama extabit: extabit autem omnibus seculis: tam diu huius
quoque uiri nomen resonabit. ut. n. cum Agamemnone lauda-
tur Nestor: cum Rege Persarum Zopyrus ille: qui Baby-
loniam cepit: cum Philippo: eiusque filio: Parmenio: sic cum
tribus Francorum Regibus Christianissimis notum erit no-
men Triuultii. Laudatur Carolus Rex Christianissimus: &
uere quidem laudatur: cum alibi locorum: tum in agro Par-
mensi apud Forum nouum. cum e medijs hostibus sese expe-
diens incolumi exercitu e locis angustis uictor euaderet.
Laudatur quoque cum eo Triuultius: eiusque consilium & acu-
men. cum missis ante impedimentis hostes impediuit. ac in-
terea ferro uiam aperuit edita ingenti strage. quo die non
tantum uiri uirtus spectata est & sollertia: sed summa quoque
felicitas. quae illum: quicquid agebat: nunquam deseruit.
Cepit: atque recepit Insubriam Ludouicus Rex Christianissi-
mus cum maxima laude & gloria. laudem quoque & gloriam
cum eo assecutus est Triuultius. qui praemissus breui omnia
pacata reddidit. Mirifice se gessit fulmen belli rex hic Fran-
ciscus potentissimus & Christianissimus: unde famam ade-
ptus est & immortalitatem. famam quoque & immortalitatem
cum eo adeptus est Triuultius. multa praeterea: & ea: quae
gesta sunt ad Petram: ubi hostibus tanquam belli propugnacu-
lum sese opposuit: effecitque: ut qui prius essent formidolosi:

ultro ipsi rogarent indutias . & uictoriam illam Bononien-
 sem:claram:insignem: altius elatam: atq; alatum. quo enim
 uolans illius celebritas non peruenit? uix tunc sese ostendit
 ille: cum repente dissipato hostili exercitu uictor fuit suis
 omnibus non tantum illæsis: sed ne stricto quidem ense: aut
 telo eminus iacto. quanuis id non semel accidit: sed iterum
 atq; iterum consilio duntaxat & fama hostes nullo prælio
 cōmisso in fugam uertit sine suorū cæde & periculo. aliaq;
 prætermitto: quæ cum multis Gallorum ductoribus gessit.
 unde nunc illi dolent: & ualde quidem dolent socio in re-
 bus dubiis & nutantibus spectatissimo in perpetuum
 priuari. tuq; imprimis doles Odete Princeps illustrissime:
 rectorq; & Gubernator Cisalpine sapientissime. tecū mul-
 tos annos eadem iniit consilia: in iisdem fuit castris: in eadē
 acie armatus: eosdem labores suscepit tecum: iisdem pericu-
 lis caput suum obiecit tecum: in eosdem simul impetū fe-
 cit: eosdem simul fugauit: fuit particeps uictoriæ: parti-
 ceps gloriæ: merito igitur socium ita fidum fortemq; de plo-
 ras. Sed & ipse Rex Christianissimus & mitissimus eiusdē
 mortem fert molestissime. itaq; perspecta illius syncerita-
 te: quam semper probauit: ut uiuentem unice amauit: sic
 mortuum honoribus afficit. præmissisq; & litteris & certis
 hominibus mandat: ut oppida & urbes: qua transeun-
 dum est: honorifice funus excipiant. quod si nihil aliud
 affecutus esset præter honorem hunc regium: abunde fuis-
 set gloriosus. uerum & Romæ: ut dixi; uelut unum defe-

cisset Italiae praesidium: iusta magnifice fiunt. Quae uero
nouissime his paucis diebus egit Ioannes Iacobus Triuul-
tius: silentio minime praetereundum est. pertinet. n. maxime
ad laudem eius & immortalitatem. nam cum multitudine
annorum oneratus uideret non posse uitae exitum diutius
proferri: ut fidem: quam semper inuiolatam seruauit: in extre-
mo spiritu testatam relinqueret: nulla itineris difficultate
deterritus in Galliam ultimam nota uia profectus est. quasi
mandata uellet accipere a Christianissimo Rege migratu-
rus & ipse: quo caeteri: qui recte uixerunt: mortales: in domum
illam coelestem & sempiternam. Et en inquit Christianissi-
me Rex: mors tandem urgens: cui non datur resistere: iubet
hinc cedam relicta uxore carissima: suauissimo nepote: pro-
pinquis omnibus: necessariis: sociisque: & amicis iucundissi-
mis: teque imprimis Christianissime Rex: a quo inuitus ab-
strahor. sed quando naturae legibus parendum est: nolui te
in scio discedere. missionem igitur peto in regiones iturus re-
motissimas: unde nunquam dabitur reditus. ecquid mandas? iu-
bes ne aliquid Christianissime Rex? uale: semperque sis felix:
uictorque semper. patriam mihi rerum omnium carissimam:
quae quis opus non sit: tibi commendo: commendo tibi ciues meos.
Quis igitur huius uitam felicissimam non iudicat? quae tot
honoribus & dignitatibus aucta: tot laudibus ornata: ad ex-
tremam peruenit senectutem: eaque tandem soluta defecit
cum summa laude: superstiti tam florenti familia: super-
stiti etiam fama: quae pennis indefessa quam latissime uo-
lans huius egregia facta celebrat ubique gentium non pra-

375

sentibus tantum sed posteris. Quæ omnia: dum cogitantur:
dolorem tollunt: efficiuntque: ut non opus sit Nenia: plango
re: lamentis: & ululatu: quæ omnino uana sunt: & tamen ad-
hibenda: ubi quis turpiter uixit. non autem huiusmodi re-
bus egent illi: qui uitam duxerunt honestissimam: & hinc
ita euolarunt: ut sui memoriam in animis uiuentium reli-
querint perpetuam. ut hic fuit: cuius manibus gratulan-
dum est: qui fructus e laboribus capiunt: inter homines:
& multo maiores inter animas cœlestes: ubi æuo fruitur il-
le sempiterno. gratulandum est huic familiæ: quæ inter
maiorum stemmata habet & huius imaginem multis ma-
gnisque titulis decoratam. gratulandum est patriæ: quæ
non minus ciue tam egregio gaudet: quàm Thebani quondam
Epaminonda: Athenienses Themistocle: Scipionibus Ro-
mani. quorum gesta: aliorumque præterea multorum studio
se legebat hic & æmulabatur. nam quicquid ocii dabatur a
militia: a rebus publicis & amicorum: id omne conterebat
in cognoscendis antiquorum factis: unde semper aliquid ad-
discebat. quocirca domi uiros habebat doctissimos: quos &
honore prosequabatur & præmiis. iamque sibi librorum su-
pellectilem parauerat lautissimam & multæ pecuniæ Lucul-
lum secutus: Augustum: & Ptolemæum. gloriæ igitur mili-
tari: quam æternam adeptus est: additum fuit litterarum
studium. scilicet quia legebat Alexandrum Macedonem:
Cæsarem: Pompeium aliosque militiæ pariter incubuisse &
doctrinæ: ut illis esset: sicut fuit: in rebus honestis quam
simillimus. Itaque: ut finem dicendi faciam: qui hunc uiuum

amauit: amarunt autem omnes: debet & mortuo gratulari:
eiusque uirtutes imitari. tuque præter alios Franciscæ Triuulti
puer ornatissime & eximie spei absterfis ex ore lachrymis
compresso etiam singultu enitere aui uestigia sectari: unde
non tantum hæreditatem bonorum accepisti: quæ ille non
sedendo inter ignauos consecutus est: at labore uario: sine
quo nemo uir bonus potest aliquid honeste adipisci: sed glo
riæ quoque hæreditatē tibi reliquit. quæ custodienda est atque
etiam augenda omni conatu. quod sine dubio efficies: si: ut
dixit auum tibi proposueris imitandum: atque etiam socerum
tuum Theodorum Triuultium uirum amplissimum: cuius
fidei: prudentiæ: & fortitudini Venetorum Respublicæ florentissi
ma militiæ suæ permisit habenas. illum uel hunc sequere:
utrumque potius. habes & alia domestica exempla ante ocu
los & luminaria: quibus prælucentibus non poteris errare
in tenebris. age puer excellentissime a teneris annis assue
sce tuos referre: fidemque imprimis seruare: sicut tui fecerunt:
& faciunt: Christianissimo Regi: unde præter ea: quæ auus
accepit: plura & maiora expectabis. præclara in te indoles
elucet. scio: augebis & ipse domum tuam honoribus. bene
tibi opto puer: tuisque omnibus: bene opto patriæ: quæ flo
reat magis in dies bonis artibus: diuitiis: opibusque: & poten
tia: extinctisque seditionibus tranquilla quiescat: sitque unani
mis: ita ut ciuitas omnis una uideatur domus: ciues frater
na caritate teneantur. Opto quoque præ cæteris felicitatem
Christianissimo Regi: ut diu uiuat: ut gloria abundet: bel
loque tandem suscepto in hostes insolentissimos religiōis no

stræ
illu
pulo
erep
cia
ius
chri
clau
bus
res
salp
cere
mur
tus:
orie
tran

Cl
gust

329
stræ: eos agat i triumpho catenis oneratos. utinam tempus
illud ueniat: quo uideam Constantinopolim: urbem illam
pulcherrimam: eandemq; miserrimam nobis iam pridem
ereptã non sine maxima iactura & dedecore: cæterasq; Græ
ciæ urbes: ipsumq; sacrosanctum Christi sepulchrum hu
ius potentissimi & Christianissimi Regis uirtute & armis:
christianis restitutũ. Hoc ego cuperem: anteq̃ oculos mors
clauderet: uictoriam ita iustam: ita sanctam: ita diis homini
busq; gratam spectare. teq; inter cæteros Gallorum ducto
res Odete Princeps illustrissime: rectorq; & gubernator Ci
salpine sapientissime exuuiis Turcarum honestum conspi
cere. iamq; uidere uideor senis illius animam ante deũ opti
mum maximũ suppliciter orantem: ut omnes bellorũ impe
tus: procellas: tempestates: & naufragia: in populos imittat
orientales: nobisq; satis superq; iactatis portus concedatur
tranquillissimus.

Impressum Mediolani. M. D. XIX. mense Febr. per Au
gustinum de Vicomercato.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Clapnetum Medicum M.D. XIX. mensis Febr. An.
Gulstanus de Vicentibus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

C

EDI
S

Cont
& c
Cont

Cont
Cont

LEX

Crim

Profo